


Lorenz Rhodoman Bernhard Praetorius Johannes Müller Matthias Paisenus Henricus Spletinius

**Gamlia Jn Conivgvm Hvmanißimi [et] præclarè eruditit viri, M. Nicolai Petraei
Hvsani Holsati : Cvm honestissima, & spectatæ virtutis matrona Catharina
Giselia Rostochiensi ... Rostochij Mensis Julij Die 10. Anno Christi M D VIC.**

Rostochii: Typis Ferberi Junioris, [MDVIC.]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1760933988>

Druck Freier  Zugang



ΓΑΜΗΛΙΑ
FN CONIVGIUM HVMA-
nissimi & praeclare eruditi viri,

M. NICOLAI
PETRAEI HVSA-
NIHOLSATI: CVM
honestissimâ , & spectatae virtutis ma-
tronâ Catharinâ Giseliâ Rostochiensî,
pijs & felicibus auspicijs initum,
Rostochij

Mensis Julij Die 10.

ANNO CHRISTI

CIO IO VIC.

Scripta ab AMICIS.




ROSTOCHII
Typis FERBERI Junioris,



GRAE.

ΠΕΤΡΑΪον Τάχα μῦσα καὶ εἰσέτι παῖδα Φίλπσερ
 εὐχορμῶν πάσκει ἄκρα λαχέρι σοφίης.
 εὐχολῆ δ' ἐπένευσε δεδός. κρήνη δ' ἔελδωρ,
 ἰδμοσύνης ὑπατορ Τόρδε πρὸς ἀπὸ ἄγων,
Αλλὰ μὴ νυμφέων τίς, ἐπί μιρ ἄναθορ ἔρωτες,
 μαιομῶν προτέρω δ' ῥάξατ' ὅτιοδε κόμης.
 πῶ σπένδεις κλεινὸν βυζάνιον, ἐνθάδε ῥώμη.
 εἰς σόλυμ; ἐθραῖων ἐνθάδε σοὶ δάπεδον.
 εἰς κλέτας Αοίνης ἑλικώνιον, ἐνθάδε κρήνη
 παρνησθ, γλυκερῶν νάμα χέσσα λόγων.
 σοὶ δ' ἄρ' ἐγὼ πάσκει χαριεσέρη ἐμί πορένης.
 σεῦ ἔραμαι, σὺ ἢ μεῦ σὸν ἠΤΙ βυμὸν ἔραξ
 ἔρχεο νομφιδίων μεμελημένῳ ἔξοχα εἰλτρων
 ἠγῆ κατ' ἐμὸν παθίης χάριματα κὸλπορ ἔχοις.
Δῆγε πόνον, καὶ εἰπέ μεληδ' ὄνα, παῦε κελένθεις,
 εἰμὴ ὅσον σοφίης λίπετ' εἰς κορυφήν.
 ὡσφάτο. πρὸς δ' ἐγέλασε φίλη κὺ πριε αὐτίκα δ' ἦδρ
 δ' ἀδ' ἄχορ σορέσαι καλὸν ἄνωγε λέχῳ.
 ἄνθεα δ' ἐμπάσαι χάριτας, περιτ' ὄρχήσασθαι.
 μολπῆ δ' ἀμβροσίω κίδνατ' ἄ πὸ σομάτων.
 εὐδάμιωμ, ὅς ἄνακτα σέθει, καὶ ἐχέφρονα νύμφην
 γήματο, τῶδε διδὸς χεῖσερ ὄλθορ ἄγα.


LAT.



L A T.

Dulcis adhuc puerum dilexit Musa PETRÆVM,
Optans, vt Sophia culmen adire queat.
Annuit oranti DEVS, & pia vota secundans,
Doctrina hunc summum duxit ad vsq; iugum.
Vna sed è Nymphis stimulata cupidinis æstro,
Crine trahit retrò, dum magis alta petit.
Quò properas? clarum Bizantion? Hic tibi Roma est.
Ad Solyman? Hebræus hic tibi campus adest.
A onie iuga adis Heliconidæ. Ecce deserto
Hic tibi Parnasi fons scætet eloquio.
Gratior ipsa tibi sum; quam via cuncta per orbem,
Te meus en retrahit, me tuus optat amor.
Ergo veni, ergo veni, sponsales nectito amores,
Inq; meo Veneris gaudia carpe sinu.
Cura vale; labor ito; peregrinatio cessa;
Sic tamen, vt Sophia continuetur iter.
Sic ait. His Venus arridet. Mox iussus ab illâ
Tædifer in thalamum ducit vtrumq; novum.
Floribus hunc spargunt Charites, cinguntq; choreis,
Faustumq; Ambrosio funditur ore Melos.
O felix, Dominum venerans, cui jungitur vxor
Cordata! à iova huic aurea gaza venit.

M. LAURENTIUS RHODOMANUS
Jenæ Græci & Rom.
Serm. P. P.



ALIVD.

IAmnè Cupidineis desudas miles in armis,
Matris Acidaliæ castra, PETRÆE, sequens;
Et modo Piëriâ ducébas arce triumphum,
Militiæ sacræ nobilitatus apes!
An nescis equidem, (sed cur nescire putéris?)
Dissideant quamtis vtraq; castra vijs?
Scilicet ex istis abijssti victor: in illis
Iam vigilans itidem victor abire paras.
Quæ tua si mens est; (aliam neq; credimus esse)
Perge: DEO cæptis perge favente tuis!
Fac prior evadas: veluti prior ante fuisti,
Æra mēfens Musis; quum Coryphæus eras.
Sic tibi continget victoria læta: triumphum
Sic tibi decernet, sed sine cæde, VENV S.
Tu Veneri contrâ statues exinde tropæum,
Exuviasque tholis illius hæc ferēs:
Nempe novem lapsis properato mensibus orbe
Chara triumfanti pignora nata patri.
Hæc tua præmia erunt; hæc isto præda duello:
Queis tibi tum poterit gratius esse nihil.
Id benè quò vobis succedat amore: senectam
Ultra aquilæ placidâ degite vterq; domo!

BERNHARDVS PRÆTO-
rius, Iesspurgenfis Chattus; Poëta
Laureatus F.


M. NI-

M. NICOLAUS PE
TRÆVS ἀναγασματισμῶς.

E CELSA VIRTUS PONAM.

E CELSA PONAM VIRTUS hos arce vi-
Quos iuvat in castris excubuisse meis. (dendos,
Sic hac iam pridem posui te sede PETRÆE,
Quum tot apex inter conspiciendus eras.
Nunc subit amplexus duce me CATHARINA petitos,
Laus matronaleis inter honora choros.
Quâ cum, si perges etiam meus esse deinceps;
Ritè diu vegetum te dabit alma salus.
Teq; alio posthac in honoris acumine sistam,
Quo clarebis, ages donec in orbe: Vale.

Jdem Auctor.



ALIVD.

SI mihi Dulychius foret inquirendus Vlysses,
Tu mihi Dulychius, culte PETRÆE, fores.
At si Penelope viduo querenda marito,
Instar Penelopes sit CATHARINA tua
Non iam respicio dubie ludibria sortis,
Hæc quæcumq; domi, pertulit; ille foris.
Non quoq; legimus socialia fœdera læti,
Quæ vobis restant concelebranda toro:
Attamen inter vos mihi jam conjuncta probantur
Firmus Vlyssis amor, Penelopeæ fides.
Donec enim liquisti urbem, Hierichunta, Rosarum,
Inq; hac famineo flore, PETRÆE, ROSAM:

A 3

Crevit

Crevit amor nuptæ, quantum via publica crevit,
Seu rate, vel rbedâ feceris hospes iter.
Nil absens veritus, semper securus amasti,
Absentis fecit nilq; timere pudor.
Ipsa etiam, cum non oculis potuisset, amoris
Assiduo genio te comitata fuit.
Inq; animo ludens absentis imagine vultus,
Vsq; magis flammâ auxit amore novas,
Quod satis è multis causis effecta probarunt;
Dedita Salanis dum tua Musa fuit.
Ergo revertentem parili iam suscipit igne,
Restat & ingenua, quæ fuit ante fides
Grataq; de collo redeuntis sarcina pendens,
Nescit, complaceat quâ satis arte tibi.
Pulcher adest Hymeneus, adest cum Matre Cupido,
Et festum superâ pace iugale struunt.
Ipse venit Phœbus, celeres veniuntq; Camæna,
Inter & has Charitum ludit amica cohors.
Laudibus applausus schola Rostochiana frequentat,
Gaudia cum KATHARA pura PETRÆVS habet,
Ast ego delicijs tot festivalibus absens,
Hæc præsens animo vota secunda precor;
Vi Deus auspicijs vobis felicibus adsit,
Et præsens animi sint rata vota, sinat.
Quas fortuna dedit partas Concordia seruet,
Rixosis thalamis dilapidantur, opes.
Duret & inter vos, dum vita superstes viringq;
Firmus Vlysis amor, Penelopea fides.

M. IOHANNES MVLLERUS
Meiningensis Franc.

ALIVD.



ALIVD.

NVper cum superis præmia frontium
Doctarum inferent, dulce decus meum
Te PETRÆE, de hinc lucida vertice
Sublimi ut feriens sidera, notior
Pugnare Rosei miles Apollinis
In castris; Melici turba decens chori
His est vsa sonis: Melpomene semel
Quem clarat numerans inter amabiles
Cœtus Aoniæ pectine temperant
Qui pulsum citharæ suauiter aureo:
Non hic quas tentit dives Achæmenes
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes
Permutet strepitu dulcisonæ lyræ,
Nil hunc à studijs Aonidum trahit:
Non ardor juvenum prava iuventium:
Non vires hominum sæva minantium:
Non flagrantia quæ torquet ad oscula
Cervicem, aut facili sævitia negat,
Quæ poscente magis gaudeat eripi,
Virgo blanditijs viq; potentior.
At mater volucris pulchra Cupidinis
Ridens ista refert paucula filio.
O fili, juveni tu mulierculæ
Vires suffice, queis robora frangi ex
Petrosi poterunt pectoris, & vide
Num Petræa queant pectora frangier,
Petrâ immobilis quæ invigilant chori
Sacris Pierij. Mox sequitur rata
Divæ verba fides. Nam muliercula
Auro, blanditijs viq; potentior

PETRÆI

PETRÆ I imminuit robora pectoris;
Ast hæc imminuit non sine numine,
Ergo da' iuueni te mulierculæ
O PETRÆE lubens, numine dextero
Quæ quo vicit amans non sine numine,
Hoc semper placeat numine præside;
Hoc te foeta beet numine, germine;
Hoc vos diuitiæ numine prosperent;
Hoc vos prosperitas numine muniat.

M. MATTHIAS PAISE-
nius Husanus Holsatus.



ALIVD.

Sylua iacet latè syluestribus horrida dumis
Hic vbi cæruleus sinuoso flumine Varnus
Labitur in Pontum, pariterq; hanc preterit urbem
Vndiq; quam sentes complent, coryliq; virentes.
Huc ego (ceu soleo) lassus studijsquè laboreq;
Afsiuo, meditans inceptum dirigo gressum
Mane nouo volucres & raucâ voce palumbes
Aethera mulcentes iterant modulamina. Syluis
Dat so nitum densis latè resonabilis Echo.
Forte audire procul videor cyrharamq; chelinq;
Et mixta humanæ resonantia cymbala voci.
Obstupeo, dubiaq; animo sententia surgit.
Tandem ego pertacitus viridanti in gramine pergo

Omnia

Omnia perlustro, & me densis vepribus abdo.
En Paphiæ custos, Charites, parvusq; Cupido
Concentum cantant, læto sed blandula vultu
Diua canit, Roseis labris dein farier infir:

VENVS

GAudete Aonides, Cupidinesq;
Et quantum est hominum venustiorum
Quem dudum volui & meus Cupido,
Igni castifico perustulare,
In casses penetrat meas cupitas
Se mi consecrat atque donat vltro
Vltro Nicoleos, beatiorem
Censet se Emilio, venustiozem
Cum ducit sociam thori pudicam
Vxorem lepidam bonamq; honestam.
Cum quâ vivere amat moriq; gaudet.
O quantum est hominum venustiorum
Quid hoc lætius est beatiusve?

CHorus CHARITUM AGLAIÆ.

CVi semper placuit Thespiadum chorus,
Et qui Pegaseis dulcia iam diu
Ora intinxit aquis, præmia frontium
Attollunt hederæ stelliferum ad polum.

EUPHROSYNE.

QVid? Quod Diua Venus, qui Idaliam tenet,
Huic vxore bonâ & divitijs beat?

B

Num-

Numnam Nicolæos rege beatiorum
Perfarum wiget & principe Romulo

THALIA.


Commendat pietas hunc; probitas eam &
Ornat forma decens, & sapientia
Hos tu summe Deus prorege, respice, bu
Ut multam sobolem conspiciant senes,
Vnanimis lepidè sic cantauere puellæ
Et leue ceratâ modulantur arundine carmen,
Interea infirmo quatientes corpora motu
Veridicæ Charites. Postquam nunc vera canentes
Audieram, duplices tollens ad sidera palmas,
Tales effudi supplex de pectore voces.

VOTVM.

Dive Deum, qui sceptrâ tenes altissima rerum
Quo sine nil ferver, nilq; perenne manet.
Qui dudum instituis castissima fœdera læti
Casti, atq; ad stygias supra remittis aquas
Huc ades æterno quod sancis, numine firma,
O Pater alme, tuo connubiale sacrum,
Felices vivant, cingat Concordia lætum,
Ut videant casti pignora chara thori.
Ille senem superet vivendo Nestora, at Illa
Plurima Cumææ secula vatis agit.

HENRICVS SPLETHE-
nius R. H.

TE



ALIVD.

TE Deus, ex costâ primo qui fecit **ADAMO**
Vxorem, in thalamum docte **PETRÆE** vocat.
Suspice; quam tradit, fidis comprende lacertis,
Atq; refer grates more decente **DEO**.
Namq; venit, tacitâ quam dudum mente tenebas
Cum faceres summo vota precēsq; Deo.
Dilige: si forsan surgit leuis ira, resiste:
Sic rursus facilem semper habebis eam.
Namq; tuos digna est, castos vt sentiat ignes,
Quos virtutis ei conciliauit amor.
Vna fides; vnus Christus: mens vna: sit vnus
Coniugibus sanctis lectus; & vnus amor.
Sic, cum verus amor constringet pectora vestra,
Omnia successum sunt habitura sonum.

NICOLAVS RHODO-
manus R. F.

FINIS.

ALIVD

T
ONANO
I
Diger
N
O

NICOLAVS RHODOS

FIVIS

FP Petraeus, Nicolaus 1594

ΓΑΜΗΛΙΑ
IN CONIVGIUM HVMA-
nissimi & praeclare eruditi viri,

NICOLAI

PERAEI HVSA-
LSATI: CVM

& spectatae virtutis ma-
Giseliâ Rostochiensis,
auspicijs initum,
ochij

Die 10.

AN...ISTI

CIO
Scripta ab ... S.

ROSTOCHI
Typis FERBERI

